

ALLOCVTIO AD FILIVM.

per & impigrum ad labores scho-  
 lasticos praebe. Molestissimam  
 quidem esse horum laborum per-  
 functionem, prudentissimus quis-  
 que nouit atque fatetur. Eam ta-  
 men etiam rite & religiose acti &  
 exantlati habent iucunditatem, vt  
 fructum eorum scholasticus, quo  
 genere hominum, Plinio teste, (\*)  
 nihil aut simplicius, aut sincerius,  
 aut melius, tantum non quotidie  
 oculis cernere & in sinu gaudere  
 queat, probosque disciplinae suae  
 alumnos viuos eosque gratos dili-  
 gentiae & fidelitatis suae habeat  
 testes. Animo igitur & palmis ad  
 Deum coelestem sublatis, in hanc  
 curam incumbe, vt adolescentes,  
 quos ille fidei tuae commisit, ad  
 pietatem, humanitatem & bonas  
 literas informes.

X 5 Vt

(\*) Lib. II. ep. 3.